

Češka, Josef

De honore Iuliani apud Ammianum Marcellinum XV 8, 10 prope serato

In: *Charisteria Francisco Novotný octogenario oblata*. Stiebitz, Ferdinand (editor); Hošek, Radislav (editor). Vyd. 1. Praha: Státní pedagogické nakladatelství, 1962, pp. 155-159

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/119531>

Access Date: 18. 12. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

DE HONORE IULIANI APUD AMMIANUM MARCELLINUM
XV 8, 10 PROPE SPERATO

Constante Augusto anno 350 nostri aevi interfecto, cuius summam dignitatem comes Magnus Magnentius usurpaverat, Constantius Augustus, Constantis frater, bellum contra eum statim parare coepit, cum novas res in occidentali imperii parte nequaquam probare in animo haberet. Sed timore magno perterritus, ne idem malum se absente in provinciis orientalibus erumperet, Gallum patrualem Caesarem sibi adscivit. Ipse autem, qui annis sequentibus Marte fautore rem tam bene gerebat, ut iam anno 353 vires Magnentianae partis fractae sint, dominationem suam usque ad ultimos fines Romanos extendit. Paulo post Gallus quoque Caesar securi percussus est, qui tamquam ad tyrannidem pronior imperatori infinita potentia tum praedito displicere coepit. Mox quidem etiam Silvanus extinctus est, qui anno 355 apud Coloniam Agrippinensem purpuram sumpserat, solusque in imperio Romano Constantius princeps atque Augustus remansit. Quo tempore Galliae ita sunt perturbatae, ut ipsa necessitas novum Caesarem, qui has provincias regeret, creati ab Augusto iusserit.

Qua de causa Constantius exercitui omni convocato, qui aderat Mediolani, Iulianum, Galli fratrem, ostentavit commendavitque; quem postquam a militibus laetissime salutatum viderat, haec verba teste Ammiano Marcellino¹ fecit: *Quia igitur vestrum quoque favorem adesse, fremitus indicat laetus, aduliscens vigoris tranquilli, cuius temperati mores imitandi sunt potius quam praedicandi, ad honorem prope speratum exsurgat.*

In editione Ammiani Marcellini Clarkiana² crux ante vocem *prope* reperitur, quae obscurum significat sensum, unde fit, ut varias in apparatu critico inveniamus coniecturas, quibus nonnulli editores artis grammaticae peritissimi lectionem *prope speratum* vetusti codicis membranacei Fuldensis³ ut vitiosam emendare sunt conati. Itaque codex membranaceus saeculi XV Petrinus editionesque Castelli Bononiensis, nec non Gelenii Basiliensis vocem *prosperatum* exhibent, editio autem Accursii Augustana *properatum*. Posteriorum autem virorum doctorum Valesius *prope desperatum*, Cornelissen *prope insperatum*, Bentleius *prospera avi* scribendum esse coniecerunt. Quarum coniecturarum nulla Clarkio placuit isque postremo non solum Heraei, qui socius eius erat operis, emendationem *pro re speratum*, immo vero suam quoque pristinam *propere speratum* repudiavit. Praeterea P. Langen *prosperatum*, J. F. C. Brakman *pro se paratum*, Guil. Baehrens *prosper delatum*, R. Novák *prosperante deo delatum* in verbis hic explanandis cernunt,⁴ quibus inventis, si ea cognovisset, Clarkius vixdum assensus esset, ut mea fert opinio.

Sunt tamen duo, nisi fallor, viri docti, qui integritatem huius loci merito defendunt. J. B. Pighius similitudinem verborum apud Ciceronem — ad fam. II 9, 1: *Primum tibi (sc. M. Caelio tunc aedili designato), ut debeo, gratulor laetorque cum praesenti tum etiam sperata tua dignitate* — in memoriam revocans eundem sensum stilo Ammiano tribuit docetque Iulianum, Constantii Chlorig nepotem, regnum sibi vindicare potuisse. Cuius interpretationi P. de Jonge, commentarii in Ammianum Marcellinum auctor diligentissimus, ratione contextus, a quo coniecturae supra dictae motae sunt, neglecta sine ulla exceptione assentitur.⁵ Sin vero et nos de eodem loco sententiam elaturi sumus, partim in quaestionibus quibusdam historicis, partim in propria Ammiani dictione cogitationes defigere debemus.

Quamvis in Clarkii editione crux ante vocem *prope* reperiatur, tamen hoc loco verbum *sperare* grammaticis difficultatem exhibere maximam videtur, quod plerumque idem significat atque spem habere sive aliquid bonum exspectare, quo sensu Ammianus hoc verbo rarissime utitur. Si huiusce modi exemplorum numerum libro XVII finire liceat, non plura quam haec documenta dari possint. XV 4, 8: *nec enim resistere nostrorum quisquam potuit, nec aliud vitae subsidium nisi discessu sperare veloci*. — XVI 12, 64: *id se nec sperare nec adipisci velle iurando confirmans*. — XVII 13, 15: *peritia nandi ripas ulteriores occupare posse sperantes*. XVII 13, 27: *leviores iacturas efficacia ducum vitari posse sperantes*. Quibus unum parumque grave accedit testimonium, namque lacuna atque menda quadam laborat. XV 5, 5: *intimum ꝑ caperem tempore deinde sperans, ut pervigilem salutis eius custodem*. (lac. 9 litt.).

Iulianus autem ex dignitate sibi oblata metu, ut Ammianus testatur, non voluptate affectus est. Caesar declaratus versum ex Iliade (V 83) sumptum *ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταίη* susurrare dicebatur,⁶ et cum Gallias petens, quanta officia illic sibi imminerent, comperisset, tanto maerore percussus est, ut murmurare audiretur se nihil plus assecutum nisi ut occupatior interiret.⁷ Immo vero iam tunc, cum purpureo amictu velabatur, vultu contractiore stabat submaestus,⁸ qualem non solum exercitus, qui aderat, sed etiam Constantius imperator potuit videre, quam-obrem non esset, quod miraremur, si Augustus post verba, quibus modestia Iuliani efferebatur, sollicitudinem etiam eius periculosae attigisset dignitatis.

At verbum *sperare* non solum de iis, quae bona sunt quaeque cum spe exspectamus, sed etiam de malis dicitur, quae nolumus, et posse accidere cogitamus, atque adeo timemus.⁹ Profecto animum nostrum tenere potest, quoties illo verbo Ammianus hac significatione utatur. Quam rem exemplis declarare volumus. XIV 7, 5: *inediae dispelleret metum, quae per multas difficilisque causas adfore iam sperabatur*. — XV 6, 1: *metuentibus cunctis, ne vi nimia tormentorum, levi corpore fatigato, reos atrocium criminum promissae citari faceret (sc. Proculus) multos; verum contra quam speratum est contigit*. — XVI 8, 10: *quod Constantius impedio timidus...* (lac. 18 litt.). ... *semper se ferri sperabat, ut Dionysius tyrannus ille Siciliae*. — XVI 12, 9: *ad toleranda vel ad depellenda quae sperantur*. — XVII 1, 14: vide inferius. — XVII 3, 1: *quia igitur plurimae gentes vi maiore conlaturae capita sperabantur*.

Si verbum *sperare* idem est ac metuere, etiam voces *ad honorem prope speratum* ita licet intellegi, ut Iulianus paene honorem suum timeret. Sed quo modo in oratione sua Constantius talem sententiam in vulgus efferre posset? Quippe qui satis aperte, ut ita dicam, casum Galli Caesaris ostenderet! Quae oratio apud Ammianum nihilo minus ipsius principis verbis vix est congruentissima, unde sequitur, ut respiciamus hunc rerum scriptorem Constantio minime,¹⁰ Iuliano autem plus quam mediocriter favisse. Ceterum paulo post idem scribit auctor Iulianum, qui vir ignarus pavendi a se dicitur,¹¹ inter homines rudes et ne sonitum quidem armorum duraturos ubique

id temporis esse numeratum.¹² Caesar huius modi rumore nequaquam laetari potuit utque in melius verteretur optabat. Qua de causa et milites, cur nomen Caesaris magna cum cunctatione suscepisset, docebat,¹³ et fortitudinem suam eis demonstrare cupiebat.¹⁴

Timiditatem supra dictam Iuliano autem a nullo nisi domo principis illatam esse ex Ammiani narratione apparet, in qua rerum ab eo bene gestarum haec legitur aestimatio: *Hoc memorabili bello, comparando quidem Punicis et Teutonicis, sed dispendiis rei Romanae peracto levissimis, ut faustus Caesar exultabat et felix: credique obtrectatoribus potuit, ideo fortiter eum ubique fecisse fingentibus, quod oppetere dimicando gloriose magis optabat, quam damnatorum sorte, sicut sperabat, ut frater Gallus occidi.*¹⁵

Hoc loco *sicut sperabat* rursus idem est ac *sicut metuebat* (sc. Iulianus), quem sensum neque unius codicis recentioris¹⁶ scriptor, neque editionis Bononiensis emendator, neque Gelenius bene cognovisse videntur, qui omnes *sicut sperabant* (sc. obtrectatores) legere maluerunt.

Inter omnes obtrectatores Constantius fuit invidiosissimus, quamobrem et victoriam Iuliani in usum suum conversam Ammianus ei obicit¹⁷ locoque commemorat superiore¹⁸ eum iam tunc, cum Iulianus purpura velaretur, clamori exercitus laeto sententias novum Caesarem parcissime laudantes¹⁹ anteposuisse. His enim aestimatoribus severis Iulianum minimo studio dignitatis capessendae motum esse optime scientibus voces *ad honorem prope speratum* in sensu supra notato faciles erant ad intellegendum.

At verbo sperare tamquam vocibus quidpiam successurum expectare aut pro plus minusve verisimili aliquid sumere nonnumquam auctores Latine scribentes utuntur,²⁰ quod apud Ammianum saepius potest inveniri, ut haec docent testimonia. XV 5, 9: *inter haec tamen dum praesentia Silvani speratur.* — XV 13, 1: *unde sublimius quam sperabatur eluxit* (sc. Musonianus). — XVI 6, 3: *cumque res in inquisitionem veniret, necessariisque negotio tentis, obiectorum probatio speraretur.* — XVI 10, 2: *set ut pompam nimis extentam, rigentiaque auro vexilla, et pulchritudinem stipatorum ostenderet, agenti tranquillius populo, haec vel simile quicquam videre, nec speranti umquam nec optanti.* — XVI 12, 24: *ubi ardor proelii sperabatur.* — XVI 12, 31: *diu speratus praesto est dies.* — XVII 9, 2: *portionem subtractam in isdem condidit castris, sperans ex Chamavorum segetibus id suppleri posse quod ablatum est.*

Interdum hoc verbum plane pro credere, opinari sermoni inseritur,²¹ velut XVI 10, 14: *quicquid viderat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat.* — XVII 1, 3: *at barbari perstricti negotii magnitudine, qui se in tranquillo positos otio tunc parum inquietari posse sperabant.* — XVII 4, 15: *sola post haec restabat erectio* (sc. obelisci), *quae vix aut ne vix quidem sperabatur posse compleri.*

Si vero in enuntiatione *ad honorem prope speratum* vocem *expectatum* loco novissimo collocamus, illud Constantii nihilominus intellegi potest, idque non ad Iulianum, cui paulo ante in ius post Galli Caesaris mortem vocato exitium impendebat,²² sed tamquam ad populum spectans explanandum est, qui Iulianum solum e Constantii cognatione omni propinqua relictum ideoque Caesarem futurum noverat.

Restat, ut in extrema commentatione nostra summatim breviterque commemoremus Ammiani Marcellini enuntiatum *aduliscens vigoris tranquilli. . . ad honorem prope speratum exsurgat* propterea obscurum existimari, quod participium in eo dictum ad nihil nisi ad subiectum pertinere omnes iudicare videantur et ipsum quoque verbum sperare sensu bonam spem habere plerumque in operibus Latine scriptis soleat usurpari. Sed apud Ammianum hoc verbum, quod excepto

loco hic explanando SEXAGIES mihi omnes libros eius properanter legenti apparuit, TER DECIES aliquid bonum cum spe,²³ SEXIES DECIES aliquid malum cum metu,²⁴ SEMEL ET TRICIES quidpiam expectandi aut pro plus minusve verisimili aliquid sumendi, quin etiam credendi, opinandi²⁵ vim habet, a quibus rarius alibi usitatis significationibus²⁶ omnes dissolvuntur emendationes, quarum Novákianam²⁷ Clarkio ignotam *ad honorem prosperante deo delatum* novissimo tempore J. C. Rolfe in ipsum Ammiani quem edidit textum²⁸ nequiquam, ut censeo, posuit.

Itaque in sententiis supra dictis voces *prope speratum* facilius intellegi possunt dupliciter scilicet sensu:

1° *ad honorem ab Iuliano prope cum metu expectatum;*

2° *ad honorem a populo prope ut certum expectatum.*

Possumus autem concedere has voces ambiguas consulto esse prolatas? Quamquam id fieri potuisse nego, tamen talis ambiguitas ancipitibus Constantii convenit moribus, quos crebro Ammianus recenset.²⁹ Utra sententia huic auctori scribenti in mentem venerit, perspicere nequimus, sed illam Iuliani metum ostendentem aperte palamque proferre voluisse Constantium iusto iure dubitare possumus.

BRNO

JOSEF ČEŠKA

- ¹ Ammian. XV 8, 10.
- ² Ammiani Marcellini Rerum gestarum libri qui supersunt. Recensuit rhythriceque distinxit Carolus U. Clark adiuvantibus Ludevico Traube et Guilelmo Heraeo. Vol. I. Berolini 1910, vol. II, pars I Berolini 1915.
- ³ Codex membr. s. IX Fuldensis, Vat. Lat. 1873.
- ⁴ Cf. G. B. Pighi, Nuovi studi Ammianeï, Milano 1936, p. 24.
- ⁵ G. B. Pighi, op. cit., p. 57; P. de Jonge, Philological and Historical Commentary on Ammianus Marcellinus, XV, 6–13, Groningen—Djakarta 1953, p. 34.
- ⁶ Ammian. XV 8, 17.
- ⁷ Ammian. XV 8, 20.
- ⁸ Ammian. XV 8, 11.
- ⁹ Cf. Totius latininitatis lexicon opera et studio Aegidii Forcellini, s. v. spero.
- ¹⁰ Constantius ab Ammiano medius (XIV 9, 2), crudelis (XXI 16, 8–12) versabilisque (XV 5, 15) princeps iudicatur, qui temporum amaritudinem augetet (XXI 16, 17).
- ¹¹ Ammian. XVI 12, 3; cf. XVI 12, 28 *animosus contra labores maximos Caesar*.
- ¹² Ammian. XVI 11, 13; cf. etiam XVII 11, 1.
- ¹³ Ammian. XVI 12, 32 *Ersurgamus, viri fortes, propulsemus fortitudine congrua inlisa nostris partibus probra, quae contemplans Caesaris nomen cunctando suscepi*.
- ¹⁴ Ammian. XVI 12, 9, *urget ratio salutis tuendae communis, ut parcissime dicam, non iacentis animi Caesarem hortari vos et orare*.
- ¹⁵ Ammian. XVII 1, 14.
- ¹⁶ Codex membr. s. XV, Paris. Bibl. Nat. Lat. 5820.
- ¹⁷ Ammian. XVI 12, 67–70; cf. XVII 1, 14.
- ¹⁸ Ammian. XV 8, 16.
- ¹⁹ Ammian. XV 8, 2 sq. et 8, 16.
- ²⁰ Cf. Forcellini, l. c.
- ²¹ Ibidem.
- ²² Ammian. XV 2, 7 sq.
- ²³ XV 4, 8; 5, 5; XVI 12, 64; XVII 13, 15, 27; XVIII 3, 2; XIX 8, 1; 11, 3; XXIV 6, 4; XXVI 2, 9; XXVII 6, 12; XXIX 2, 23; 5, 45. — Locum XXVIII 4, 26 praetereo, ubi Ammianus non suam, sed Ciceronis (de amicitia 79) sententiam profert.
- ²⁴ XIV 7, 5; XV 6, 1; XVI 8, 10; 12, 9; XVII 1, 14; 3, 1; XX 11, 16; XXI 3, 1; 5, 2. 5 (si hoc loco *speratas gentium copias* legimus et non *conspiratas*); XXVI 5, 11; 6, 18; 10, 18; XXVIII 4, 21; XXX 5, 3; 10, 1.
- ²⁵ XV 5, 9; 13, 1; XVI 6, 3; 10, 2.14; 12, 24.31; XVII 1, 3; 4, 15; 9, 2; XVIII 7, 2; XIX 9, 3; XXI 7, 3; 9, 2; 12, 21; XXII 3, 11; 8, 48.49; XXIV 4, 19; XXV 7, 5; XXVI 1, 1; 2, 6; XXVII 3, 4; XXVIII 1, 26; 5.5; XXIX 1, 34; 5, 27.50; XXXI 7, 7; 8, 2; 12, 13.
- ²⁶ Alias quoque voces in significationibus apud scriptores veteres et optimos minime usitatis Ammianus non invitus ponit, e quibus multis unum exemplum idque ad vocem *periculum* attinens profero. XXII 16, 8: *inibi aurae salubriter spirant et aer est tranquillus et clemens, atque ut periculum docuit, per varias collectum aetates, nullo paene die incolentes hanc civitatem solem serenum non viduit*.
- ²⁷ R. Novák, Kritische Nachlese zu Ammianus Marcellinus. Wiener Studien, 33. Jahrgang 1911, Wien 1912, p. 300, ubi etiam locus XVIII 6, 3 (*cuius rei prosperante deo ductorem commodissimum fore spondebat*) ostenditur.
- ²⁸ Ammianus Marcellinus with an English Translation by John C. Rolfe in Three Volumes. The Loeb Classical Library, London—Cambridge, Massachusetts 1956–1958. Vide I, p. 168.
- ²⁹ Praesertim in blanditiis Constantium perfidiam atque minas occultavisse Ammianus narrat (cf. XIV 7, 9; 11, 6–9).

